

N A T U R A
CHOLERAÆ INDICAE

D I S S E R T A T I O

INAUGURALIS MEDICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

P R A E S I D I S E T D I R E C T O R I S

S P E C T A B I L I S D O M I N I D E C A N I

NEC NON

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

P R O

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ALMA ac CELFERRIMA REGIA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JACOBUS MÜLLER

HUNGARUS M. THERESIOPOLITANUS.

**In Theses adnexas disputabitur in aedibus Faaultatis Medicae
die 17. Aprilis 1832.**

PESTINI,

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

Ista naturae rerum contemplatio non facit medicum, aptio-
rem tamen medicinae reddit.

Celsus de re medica.

SPECTABILI

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO

JOSEPHO RUDICS

DE ALMÁS

**EQUITI AURATO, AA. LL. ET PHILOSOPHIAE NEC NON
JURIS UNIVERSI DOCTORI, INCLYTAE AC CELEBERRI-
MAE REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNGARI-
CAE PESTIENSIS FACULTATUM PHILOSOPHIAE UT ET
JURIDICAE MEMBRO, INCLYTORUM COMITATUUM BÁCS,
BODROGH LEGE UNITORUM PROUT TOLNENSIS, CSON-
GRADIENSIS ET VERÖTZIENSIS TABULAE
JUDICIARIAE ASSESSORI**

V I R O
ERUDITIONE PROFUNDA , HUMANITATE ,
PROBITATE , DECORE
INSIGNI
SPECTATISSIMO , NOBILISSIMO
SUMMO LITTERARUM CULTORI
ET PROMOTORI
IN TESSERAM GRATITUDINIS
PIA CUM VENERATIONE
HAS STUDIORUM SUORUM
PRIMITIAS
SACRAS ESSE VULT

Divineticissimus

Auctor.

P r a e f a t i o .



Dissertationis inauguralis conscribendae munus adgrediens, laetus memini eorum, quae observatio circa morbum orbi universae infensum meditati, Ujszászini ad limites Comitatus Pestiensis, non minus M. Theresiopoli Comitatus Bacsensis obtulit, de natura ejus non minus ac therapia rationali pronuncianda. Quam arduum sit propositum hoc exsequendi, insufficientis de morbo hoc contemplatio, virorum in arte medica versatissimorum, quam etiam ce-

lebratissimorum, in lucem prolata, clare docet. In quantum tenero tironi promissa successere, iudicium Doctissimorum anxius exspecto. Brevitas Deductionis a Collegis mihi fors objicienda, scopo Dissertationis inauguralis multum infringitur.

Pestini die 12. Aprilis 1832.



§. 1.

Cholera ab antiquo vocabulo graeco *Κολέρα*, quod idem significat ac canalem optime, deducitur; in specie Græci sub eo intellexerunt canalem, qui aquam coelestem e tegulis domorum exciperet (Regentinne). Denominatione Cholerae itaque intelligi volebant, morbum, sub quo contenta e ventriculo, et intestinis, quasi e canali rivo continuo effluerent. Diversitatem tamen Cholerae, seu fluxus morborum e ventriculo, et intestinis epithetis adjectis exactius determinarunt; unde denominatio Cholerae biliosae seu fluxus biliosi, et Cholerae Indicae seu Cholerae morbi, fluxus quasi per catexochen morborum *), sub quo totus organismus quasi in liquidum tenue resolutus, transmutatus ac per vomitum, et alvum evacuari videtur.

§. 2.

Cholera jam ab antiquissimis temporibus observata et descripta fuit. Sic Celsus **), Aretaeus ***)) Choleram adducunt, quae biliosa quidem illis dicitur, descriptio tamen ea a Celso imprimis data, Cholerae morbo multum affinis est. Haec enim sunt verba Auctoris :

*) Die Cholera morbus oder orientalische Erbrechen, von einem practischem Arzte. Stuttgart pag. 5.

**)) Celsus de re medica lib. VI. Cap. II-do

***)) Aretaei Cappadocis opera omnia Lipsiae 1828. pag. 43.

Simul et dejectio, et vomitus est, praeterque haec inflatio est, intestina torquentur, Bilis supra infraque erumpit, primum aquae similis, deinde ut in ea recens caro lota esse videatur, interdum alba, nonnunquam nigra, vel varia.

Immortalis Sydenhamus *) (Cholera Londini observavit, anno 1669. et 1676. epidemicam regnantem, cujus descriptio cum Cholera morbo omnimode concordat. Sic eam refert:

Morbus hic, qui anno 1669. se latius diffuderat, quam alio quovis anno, quantum ego observaveram, eam anni partem, quae aestatem fugientem atque autumnum imminens complectitur, unice ac eadem prorsus fide, qua veris primordia hirundines aut insequentis tempestatis fervorem cucullus, amare consuevit. — Malum ipsum facile cognoscitur; adsunt enim vomitus enormes ac pravorum humorum cum maxima difficultate et angustia per alvum dejectio; ventris ac intestinorum dolor vehemens; inflatio et distentio, cardialgia, sitis. Pulsus celer, ac frequens, cum aestu et anxietate, non raro etiam parvus et inaequalis, insuper et nausea molestissima, sudor interdum diaphoreticus, crurum et brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, cum aliis consimilia notae symptomatibus, quae adstantes magnopere perterrere faciant, atque etiam angusto vigintiquatuor horarum spatio aegrum interimant. — De illa anni 1676. vero dicit: „Neque enim solum abdomen, uti alias in hoc malo, sed universi corporis muscoli, brachiorum crurumque prae reliquis spasmis tentabantur dirissimis, ita, ut aeger e lecto subinde exiliret, si forte extenso quaquaversum corpore eorum vim posset eludere. Maxime movet attentionem in hac descriptione Cholerae, quod bilis nomen in evacuationibus non commemoretur.

*) Th. Sydenhami opera medica Venetiis anno 1762. pag. 21. et 39.

Ne ipsi observatores recentissimi celeb. Quarin *), J. P. Frank **), S. Gott. Vogel ***)) ubique bilem evacuatam referunt, maluntque omnes alios potius caracteres adducere ut Diagnosticos, quam indolem evacuatorum.

Vix non omnes tamen Auctores, imprimis James Annesley ****)) morbos nunc descriptos a Cholera morbo penitus diversos esse volunt. Sed observata dicitur fuisse Cholera morbus prima vice epidemice regnans in India anno 1782—83, descripta per anglum Curtis, tardius Dr. Girdleston 1787. eandem epidemiam recurrentem observavit, brevi tamen extinctam; donec anno 1817. mense Augusto Jessore et Calcutta erumpens malignior evaderet, nec angustiis Patriae limitibus contentari voluit.

§. 3.

Cholera morbus, alias Cholera Orientalis a Patria, Pestis Indiae Orientalis, a Caractere maligno sic nuncupata, male spastica a nonnullis dicta, vocatur etiam malum terrae (Mal deterre) cum in continente maxime seviet, et Mors canis (Mort de Chien) quia canes multos in suo itinere per Asiam ac Europam inter convulsiones enecuit.

§. 4.

Ut morbi hujus terribilis naturam eruere et Therapiam rationalem adornare valeamus, missis argumentis pro evincenda identitate Cholerae apud nos

*) I. Quarin animadversiones practicae in diversos morbos Viennae 1786. pag. 205.

***) J. P. Frank. De curandis hominum morbis epitome Lib. 5. part. II-da. Viennae 1824. pag. 223.

****) S. G. Vogel. Handbuch der practischen Arzney-Wissenschaft, vierte Ausgabe. Wien 1828. Thl VI. S. 77.

*****) James Annesley. Ueber die Ostindische Cholera, nach vielen eigenen Beobachtungen und Leichenöffnungen, aus dem Englischen übersezt von Dr. Gustav Himly. Hannover 1831.

anno 1831. regnantis, et eae in India anno 1817. eruptae, ab omni vix non scriptore numero sufficiente adlatis, descriptionem morbi omnimodam, quae inde ab origine sua, per Asiam ac integram vix non Europam excurrentis parum modificati respondeat, elaborare conabimur.

Ubi morbus diutius excurrit, ibi stadia tria per Celb. Annesley. Rang, Pupurew, et Brändeis adducta distringvi possuat, atque ob Prognosim, et Therapiam distinctio haec stadiorum summi est momenti.

Stadium primum morbi Prodromorum, juxta Annesley Invasionis dictum, haec fere offert symptomata. Experitur homo saepe occupatus debilitatem muscularem, animi dejectionem, capitis temulentiam quasi ab aëre inspirato gaze acidi carbonici impregnato, subinde auram electricam in regione temporali, visus obnubilationem, cophosim, facies evadit pallida, subinde comparet sudor glutinosus, somnus deficit, pulsus tangitur durus, sed suppressus; respirat difficulter et anxie. Candidatus morbi experitur appetitum prostratum, nauseam, alvus subinde est obstipa, alias est minus consistens, accedunt borborigmi, termina, quae ad praessionem abdominis rudiorum et evacuationes spontaneas imminuntur: abdomen meteorice inflatum est, secretio urinae perstat, sed parca, secundum Professorem Brandeis jam in primo stadio suppressa est. Celb. Annesley post symptomata haec commemorata Choleram semper subsequi vidit, nisi Therapia rationalis ulteriorem evolutionem morbi impedivit, quam observationem in dubium vocare non valemus, asserendum tamen habemus Choleram frequenter subito erumpi, aut Prodroma brevi tempore durare. Dr. Pupurew durationi hujus stadii assignat paucas horas usque tres dies, atque ubi ars non intercurrit, evolvitur:

Stadium morbi secundum, morbi evoluti, vel etiam stadium frigoris dictum. Incipit cum sensu ardoris in regione epigastro-umbilicali, cui mox se associat vomitus alias diarrhaea, nonnunquam vomitus et diarrhaea simul juncta se insinuant, quibus liquidum se-

rorum initio ingestis, bile intermixtum, tardius floccos albos lacti coagulato similes evehunt; evacuationes, hae sunt tam profusae nonnunquam, ut organismus totus in liquidum serosum resolutus, per vomitum ac alvum evacuari videatur. Acris excretorum indoles per alvum ruens sensum ardoris, quasi ab injecta aqua calida in intestinum rectum excitat. Maximam attentionem sibi vindicavit a primis observatoribus, defectus bilis in evacuatis, unde morbus multis Acholia, oppositus Cholerae biliosae, ubi Polycholia adest, denominaudus visum est. Quod tamen observationes exactiores saepe refutabant: sic Dr. I. R. Vos *) qui Choleram in Bengalia observaverat Chinsurah, et Orton exemplum adferunt, ubi bilis plane magna quantitate secessa est; adnotantque Auctores Celb. hos casus minus graves fuisse, ac ubi hujus excretio omnis desiderabatur. Idem refert Medicus Stabalus **) Smirnow qui primus aegrum in epidemia Orenburgensi 7-a Sept. 1829. tractandum habuit. Et mihi observari licuit Ujszászini ad limites Comitatus Pesthiensis, aegrum, qui postquam Paroxysmum febris intermittens experiretur, consilium medicum expetiit; observationi tamen reliqui aegrum, typum febris intermittens observaturus, monitis necessariis provisum; altero die post meridiem paroxysmus febris validus revertitur, ingruente stadio caloris ubi cutis madere incepit, auram liberam petiit. refrigerium admisit, atque omnia symptomata Cholerae regnantis evolvebantur; cessavit quidem paulo post vomitus, sed perstabat diarrhaea biliosa, frigus erat universale, pulsum vix licuit distinguere, sitis inexstinguibilis, facies collapsa, dolor urens in regione opigastrica perseverabant,

*) Vom Ursprunge, dem Verlaufe, den Symptomen, und der Heilung der Cholera Morbus, wie sie sich seit dem Jahre 1817. in Bengalien gezeigt hat, aus dem Holländischen übersetzt von Dr. C. H. Ebermeier — in Rust's Magazin für die gesammte Heilkunde Bd. XXIV. S. 97. — 135.

**) Vide Dr I. R. Lichtenstädt's Asiatische Cholera in Rußland Berlin 1831.

urinae missio intercepta. Sub his rerum adjunctis cautus, prognosim pronunciaui dubiam, adstantes territi confidentiam amiserunt, ita ut consolatione humanissima, ne auram frigido-humidam aeger ardore interno vexatus relinquere vellet; ideo simplicem observationem morbi decurrentis continuavi, vidique altero die symptomata omnia perstare, calorem tamen aliquantum reverti, pulsus magis elevari, aegrum pacatiorem, evacuatio bilis et nunc perstabat: die morbi tertia symptomata intensiora evasere, alvus semel secessit, bile mixta: die quarta morbi, frigus superficiei corporis marmoreum evasit, pulsus evanuit, conscientia amissa, alvus nulla, mors paccata.

Saepe nullus adest vomitus, nulla diarrhaea, (Gmelin *) refert, quod saepe Tetanum Cholerae junctum observaverit, atque in illis casibus excretionem omnem desiderasse; praeter haec symptomata nunc enumerata adest decrementum virium notabile, quod a solis evacuationibus derivari non potest, cum primum vix non sit omnium Prodromorum: Pulsus initio est frequens, sed mollis, mox evadit tardus vix percipiendus, e contra motus cordis est vehemens impetuusus, irregularis; respiratio est difficilis anxiosa, aër exspiratus a Celb. Davy Analyti chemicae subjectus mutationes illas, quas aër atmosphaericus in pulmonibus sanis respiratione subit, non ostendit, imprimis defectum acidi Carbonici detexit, adeo ut $\frac{1}{2}$ pars dosis consuetae adesset, $\frac{2}{3}$ in sanguine remanissent: frigus initio in partibus corporis extremis increscit truncum versus, turgor vitalis, praecipue in facie imminuitur, collabitur (facies cholericæ) oculi in orbitam retracti vitrei muco tenui obvellati; Cutis tota apparet spastice contracta anserina, sudor erumpit frigidus, colliquativus, sed et excretiones perturbantur, praeprimis secretio urinae, bilis, lingua tangitur sicca munda livida, non raro muco flavo obdu-

*) Die Ostindische Cholera aus dem Englischen des John. Mason Good, übersetzt und mit Zusätzen versehen von Dr. Fr. G. Gmelin. Tübingen 1831.

eta fissa, vox rauca debilis (Vox Cholericæ) conjunctiva sanguine suffusa, apices digitorum et labia live-
scunt, sitis intensissima in aquam frigidam directa,
vomitus continuus et diarrhæa: his accedunt spasmi,
qui nonnunquam primum constituunt hujus stadii sym-
ptoma, ubi mitiores sunt, solum ventriculus et tubus
intestinalis comprehenditur, et quidem spasmo Clonico,
frequenter adsunt Tonici et quidem prehenditur orga-
non respirationis, quo clamor, suspirium, singultus
spasticus excitantur, in casibus vehementioribus in
musculos abdominales, extremitatum, frequenter in-
feriorum extenduntur, occupantes M. Gastrocnemios,
rarius occurrebat apud nos spasmus universalis teta-
nus, saepius locum mutabat, nonnunquam pharyngem
constringens. Incremento morbo pulsus et respiratio
magis prosternuntur, calor nequidem in præcordiis
sentitur, dejectiones cessant, alias involuntarie fluunt,
potui seminum Cacao similes: facies magis concidit,
spasmi nonnunquam increscunt, alias penitus silent:
aeger evadit paccatior, se bene valere ait, conscien-
tia amittitur, respiratio evadit laboriosa; et mors
sublevat miserias aegri.

Duratio hujus stadii communiter est una usque 3
dies, frequenter tamen mors post 6 — 8 horas jam
intervenit.

Ubi felix aeger stadium morbi superat, distin-
gitur:

Stadium morbi β -ium, seu reconvalescentiæ. Ra-
tio, qua sanitas e morbo hoc periculosissimo revertatur,
naturæ morbi nullum lucis affundens, non una
eademque ab observatoribus adnotata fuit. Ubi mor-
bus brevi durans tempore, curæ rationali mature ad-
hibitæ cedit, symptomata morbi ita evanescent, pro-
ut morbus saepissime pertinax comparuit, sudore ta-
men largo critico manifesto. Dum tamen morbus di-
utius excurrit, mutationes reconvalescentiam caracte-
risantes, notabiliores se sistunt. Medici Angli, qui
Choleram in Bengaliam et Bombay observarunt, refe-
runt, quod ingruente stadio reconvalescentiæ sym-
ptomata f. Biliosæ se insinuaverint. relatio tamen hæc

ita circumscripta est, ut significatio ejus et causa intelligi non possit; medici reliqui praxim exercentes in India f. hujus nullam faciunt mentionem: quidquid sit, illud observatio et apud nos nan tantum propria sed saepius multiplex aliorum confirmat, stadio reconvalescentiae ingruente, quod pulsu manifestiore, secretione urinae reversa, alvo bilis evacuata designatur, calor revertatur, qui saepius diu durat, quin sudor ullus elici possit, sensus pressionis, ustionis in regione Epigastrica perdurat, pulsus sit frequens, rubor intensissimus, quin ad curam morbi ullum exhibuissem stimulans, nec citius disparuere, nisi ubi eccoproticum salinum exhibuissem, Cremoris tartari Scrup. 1. pro dosi, atque 3. dosibus absumtis, alvus terna insequabatur, quibus bilis copiosissima secessit, sudor largus prorupit, et nullum symptomata reconvalescentiam impedivit, ita ut character hujus f. manifeste biliosus esset; nec tamen semper immediate transit in sanitatem Cholera, sed frequenter terminatur in alios morbos, frequens est transitu Cholerae in typhum nervosum, in hydropem passivum, in specie ascites apud illos qui morbum autocraciae beneficio superarunt, non raro malum posthumum; frequenter excipit Choleram paralysis, in specie Dyspepsiae, alvus pertinaciter obstipa, aut incontinentis alvi, ob sphincterum relaxationem non rari sunt morbi posthumi; rarius occurrunt paralysis aliarum organismi partium.

§. 5.

Symptomata Cholerae nunc adducta certo in nullo alio morbo hucdum descripto conjuncta observantur, quare formam morbi ex iis eruere difficile non erit. Manifestius est adhuc discrimen illud, si colligamus, quae anatomia pathologica suppeditat. Quare commemorari merentur sectionum cadaverum e Cholera morbo extinctorum resultata.

A James Annesley adducta.

Turgor vitalis adeo erat imminutus, ut aeger ex lineamentis faciei licet e morbo brevi exstinctus, cognosci non potuerit; extremitates livebant, labia oris et aliae partes simplici epidermide tectae, profundo purpureo colore tingebantur: venae cutaneae sanguine destituebantur. Musculi erant flaccidi, quasi in cadavere per ictum electricum exstincto inveniri solent.

Sinus, venae Encephali, ejusque velamenta, sanguine nigro picis instar denso repletae erant. Membrana Arachnoidea opaca incrassata, et partibus vicinis adhaerens. In ventriculis cerebri serum, et liquidum glutinosum effusum invenit. Substantia cerebri emollita, pulpasa, raro sanguinem fundens. Cor et trunci venarum sanguine nigro accumulato dilatati, qui in nonnullis casibus fluidus, in aliis semicoagulatus, alias penitus coagulatus erat, textura friabilis. Pulmones collapsi sanguine nigro repleti graviores ac in statu normali, hepatisati carnosius quasi visi. Pleura pallebat, Pericardium normale et parum seri recludebat. Aperto abdomine, quod etiam Jameson adnotat. proprius inamoenas a cadaveroso diversus odor comparuit, imprimis ibi manifestus, ubi aeger brevi duratione morbi extinguebatur. Ventriculus liquidum serosum, opacum, floccis et grumis intermixtum varia quantitate continebat, varium ludens colorem; remoto liquido hoc tenaci, vasa capillaria sanguine repleta. subinde ecchymoses, subinde in rugas complicatus incrassatus et emollitus facilius lacerandus; pylorus subinde signa reactionis majoris obtulit. Intestinatorum tenuium interna superficies simili sanguine infarcta ac liquidum serosum opacum, floccis et grumis intermixtum recluserunt. Eaedem mutationes in intestinis crassis detegebantur, a faecibus vacua, sed liquidum ejusdem indolis recondebant.

Hepar ut plurimum inconsuetae molis, sanguine crasso nigro farctum, raro coloris purpurei, frequentius profunde brunei, ut plurimum molle friabile fa-

cile lacerandum: vesica fellea bile viridi, vel atra repleta; ductus hepaticus permeabilis, choledochus vero constrictus erat, adeo ut nonnisi ad pressionem majorem vesicae felleae bilis in duodenum transflueret. In casibus raris, ubi aliqua bilis excretio vita durante viguit, vesica fellea vacua, vel parum bilis normalis reclusa: ductus choledochus tunc minus constrictus adinveniebatur in paucis, casibus vesica fellea penitus vacua, relaxata et collapsa erat.

Lien normali major sanguine nigro repletus et textura mollis erat, in paucis casibus investigatus in frustra dilabebatur, color ejus semper erat obscurus.

Renes nullam mutationem ostenderunt, quae functionem ejus totali modo suppressam fuisse concludere invitassent. Vesica urinaria vacua, sub ossibus pubis retracta, membrana ejus intima mucro glutinoso copioso obvestita detecta est.

Sanguis, cujus indolem primus Auctor adducit, manifestissimas obtulit mutationes, constanter autem invenit sinus, venas cavas, venam portarum, et iliacas, sanguine crasso nigro lente fluente repletas; Cor dextrum idem ostendit, sinistrum hincinde vacuum repletum.

Pulmones constanter sanguine picis instar nigro infarctos detexit, omnia reliqua organa congestionem sanguinis ejusdem indolis experta sunt.

*Resultata sectionum a Professore Brandeis *)
Charkowiae institutarum.*

Aperto cranio invenit venas durae matris cerebri et medullae spinalis sanguine denso picis instar nigro repletas; inter arachnoideam et piam matrem, liquidum viscosum detexit. Atrium cordis sinistrum, et vasa coronaria simili sanguine repleta erant. Hepar sanguine infarctum, superficies inferior inflammata; vesica urinaria contracta, membrana mucosa ventriculi et intestinorum crassorum leviter, tenuium vero multum inflammata detecta fuit.

*) Vide Dr. Tilesius über die Cholera etc. Nürnberg 1831. S. 121

Pulmonum mutationes nullas adnotavit, quas Conwel, Seidlitz, *) Lichtenstädt, et plures alii semper adnotant, ubi pulmones vacuos reperierunt, collapsi quasi semiparalytici erant.

§. 6.

Perlustratis omnibus momentis Cholerae Morbum characterisantibus: gravissimum superest dilucidandum, modus genesis et propagationis exponens. Qua in re, ut cum aliqua utilitate procedere valeamus, missis vanis hypothesebus, veritati quantum menti humanae limitatae admissum est, adpropingvemus: ab Auctoribus prolata rationi et experientiae respondentia in usum convertere studebamus.

De origine Morbi in Patria fide digna historia refert, Furum a pluribus annis vehementiorem et magis ferventem in India spirasse: calorem siccum diu durantem, subito exceperunt pluviae continuac nubifragae visae: aquae sic nimium accumulatae alveo retineri non poterant, exundationes itaque ortae sunt, quibus plantae et arbores radicitus evulsi, cadavera e sinu terrae eluta; aquae tardius recedentes stagnis originem praebuere, Pisces in stagnis relictis cum reliquis organicae originis fermentatione putrida correpti, aërem jamjam aegrotantem contagiosum reddere debuerunt. Ipsa orisa panis Indorum non destrui non potuerat. His promovendis favebant habitacula Indorum angusta et humilia: utpote in quibus cohabitatio plurium, renovationi aeris magnum remorem ponit.

Eadem fide digna Historia refert phaenomena naturae his majora, quae se sistebant, jam anno 1815. maxime vero observabantur ultimis duodecim annis, ubi Cholera ex India, per Asiam in Europae majorem partem strages suas ediderat. Erant autem exhalationes telluricae, terrae Motus et eruptiones Vulcanicas causantes tam vehementes, ut anno 1819. mense

*) Dr. Seidlitz Vermischte Abhandlungen, aus dem Gebiete der Heilkunde, Petersburg 1825.

Junio totam fere Provinciam Indiae Kotsch nuncupatam, e fundo subverteret: perduravit hic terrae motus usque initium mensis Augusti, nec ulla dies huc adusque succussionem non experiebatur. Eodem tempore processus Meteorici globi volitantes pertotam Indiam, Russiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, directione eadem, qua Cholera se diffuderat, per Europam, ab observatoribus relati sunt: Montes Vesuvius et Aetna ignem subterraneum eodem fere tempore ejecerunt, terrae motus vero in pluribus locis Italiae et Siciliae persentiscebantur. Anno 1820. Abi per totam fere Europam eruptiones vulcanicae et terrae motus vigerent, Capitaneus Hodgson in montibus Himalayis horribilem descriptionem terrae motus ibi observati refert. Mutationibus his partim telluricis, partim athmospheriliis, aërem athmosphericum, organismum vivum, fontem omnis vitae individualis, gravi affici debuisse morbo, nemo est, qui in dubium vocare ausus fuerit. Praecipuam ac eminentiorem in India experiri debuisse, prius commemorata sufficienter probant; mirum itaque non est, cur vita humana effluvium athmosphaerae in India omnium prima de morbo participavit.

§. 7.

Expositis momentis quibus athmosphaerae degeneratio induci debuit: transeundum nobis erit ad causas occasionales definiendas: Dispositio enim per constitutionem epidemicam inducta, quamcunque eminentis, morbum non prognerat; Causarum occasionalium itaque cognitio, summi est momenti, his enim evitatis, morbi terribilis eruptio semper impediri potest.

Inter causas has omnium primo memorari meretur, refrigerium calente corpore admissum: in Russia ubi sudatoria in abusu sunt, aethumnus vero frigidior, hyems plane rigida, occasio refrigerii amplissima est; quare mirum non est cur Cholera in Russia penes tam benignam coordinationem medico-po-

liticam, et ejus strictam observantiam strages suas edere non desiit. Alia causa occasionalis non minus frequens Cholerae est adstrictio virium, seu per labores nimium exhaurientes, ardente sole susceptos, per noctes in vigiliam transactas, per adstrictionem mentis, curam, sollicitudinem, inopiam, defectum nutrimentorum salutarium, munditiei, aëris puri: frequentius per crapulam jejuno praegresso. Secundum Celb. Seidlitz inducitur per abusum spirituosorum praeprimis Cremati: frequentissima causa tamen Cholerae est terror. Riecke *) duos refert casus memorabiles in epidemia Moscoviensi, terrore solo excitatos. In uno casu Praefectus Exercitus, homo robustus, staturae altae sola imaginatione se Cholera laborare, symptomata morbi sibi accersivit, decubuit: monuitque adstantes ne eum accedentes eodem morbo inficerentur: Donec amici eum amplexi exoscularentur, atque non nisi dum videret amicos non infici, persuadi poterat de absentia morbi.

Alter aeger reclusit, munivitque se Chlorate Calcis, in vicinia habuit lanceolam, ut in casu symptomatis Cholerae se insinuantis venam apperiret. Ex imaginatione sensum Cholerae symptomatis experitur: venam sibi apperit et exstingvitur. Non ex Cholera imaginata, sed ex apoplexia per terrorem inducta.

§. 8.

Momentis nunc per longum et latum citatis, morbum gravissimum generari debere, et reapse Cholera morbum prorupisse nemo est, qui inficias ibit; ast modus, quo nominatus morbus per causas expositas in lucem editur, mutationes illas inquam (quas causam proximam nominare amant) per causas remotas inductas; rationem omnium phaenomenorum in se recludens exponere, hic rhodus, hic salta!

*) Mittheilungen über die Morgenländische Seuchruhr von V. A. Riecke. Bd. II. S. 85.

Junio totam fere Provinciam Indiae Kotsch nuncupatam, e fundo subverteret: perduravit hic terrae motus usque initium mensis Augusti, nec ulla dies huc adusque succussionem non experiebatur. Eodem tempore processus Meteorici globi volitantes pertotam Indiam, Russiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, directione eadem, qua Cholera se diffuderat, per Europam, ab observatoribus relati sunt: Montes Vesuvius et Aetna ignem subterraneum eodem fere tempore ejecerunt, terrae motus vero in pluribus locis Italiae et Siciliae persentiscebantur. Anno 1820. Abi per totam fere Europam eruptiones vulcanicae et terrae motus vigerent, Capitaneus Hodgson in montibus Himalayis horribilem descriptionem terrae motus ibi observati refert. Mutationibus his partim teluricis, partim athmospheriliis, aërem athmosphericum, organismum vivum, fontem omnis vitae individualis, gravi affici debuisse morbo, nemo est, qui in dubium vocare ausus fuerit. Praecipuam ac eminentiorem in India experiri debuisse, prius commemorata sufficienter probant; mirum itaque non est, cur vita humana effluvium athmosphaerae in India omnium prima de morbo participavit.

§. 7.

Expositis momentis quibus athmosphaerae degeneratio induci debuit: transeundum nobis erit ad causas occasionales definiendas: Dispositio enim per constitutionem epidemicam inducta, quamcunque emittens, morbum non prognerat; Causarum occasionalium itaque cognitio, summi est momenti, his enim evitatis, morbi terribilis eruptio semper impediri potest.

Inter causas has omnium primo memorari meretur, refrigerium calente corpore admissum: in Russia ubi sudatoria in abusu sunt, autumnus vero frigidior, hyems plane rigida, occasio refrigerii amplissima est; quare mirum non est cur Cholera in Russia penes tam benignam coordinationem medico-po-

liticam, et ejus strictam observantiam strages suas edere non desiit. Alia causa occasionalis non minus frequens Cholerae est adstrictio virium, seu per labores nimium exhaustos, ardente sole susceptos, per noctes in vigiliam transactas, per adstrictionem mentis, curam, sollicitudinem, inopiam, defectum nutrimentorum salutarium, munditiei, aëris puri: frequentius per crapulam jejuno praegresso. Secundum Celb Seidlitz inducitur per abusum spirituosorum praepriis Cremati: frequentissima causa tamen Cholerae est terror Riecke *) duos refert casus memorabiles in epidemia Moscoviensi, terrore solo excitatos. In uno casu Praefectus Exercitus, homo robustus, staturae altae sola imaginatione se Cholera laborare, symptomata morbi sibi accersivit, decubuit: monuitque adstantes ne eum accedentes eodem morbo inficerentur: Donec amici eum amplexi exoscularentur, atque non nisi dum videret amicos non infici, persuadi poterat de absentia morbi.

Alter aeger reclusit, munivitque se Chlorate Calcis, in vicinia habuit lanceolam, ut in casu symptomatis Cholerae se insinuantis venam aperiret. Ex imaginatione sensum Cholerae symptomatis experitur: venam sibi aperit et extingvitur. Non ex Cholera imaginata, sed ex apoplexia per terrorem inducta.

§. 8.

Momentis nunc per longum et latum citatis, morbum gravissimum generari debere, et reapse Cholera morbum prorupisse nemo est, qui inficias ibit; ast modus, quo nominatus morbus per causas expositas in lucem editur, mutationes illas inquam (quas causam proximam nominare amant) per causas remotas inductas; rationem omnium phaenomenorum in se recludens exponere, hic rhodus, hic salta!

*) Mittheilungen über die Morgenländische Brechrubr von V. A. Riecke. Bd. II. S. 85.

In infinitum, ut ita dicam, protendere deberem, scopum dissertationis inauguralis multo latius extenderem, si cuncta ab auctoribus de natura Cholerae prolata in angustis paginis hujus opusculi accumulata habere vellem: quare missis quae seu de inflammatione vera ventriculi et intestinorum, seu de inflammatione spuria (Verfäppte Entzündung Tilesii) seu clarius ab aliis vix non omnibus pronunciata nevrosi adlata sunt; propria sensa post Annesley breviter et incomplete prolata dilucidanda transeo.

§. 9.

Aerem atmosphericum fontem vitae organicæ, mutationes dunamico-materiales notabiles subivisse, ex iis, quæ §. 6. exposuimus, clare intelligi possunt. Quales tamen illae mutationes fuerant singulares, omnibus explicare irritum conamen est, manebitque semper. Dr. Pálnitzky in epidemia Orenburgensi exactissimas instituit observationes meteorologicas, nec tamen ullam notabilem mutationem adnotare valuit. Secundum experimenta Physiologica Colb. Ritter manus, quæ in contactum ponitur cum electricitate positiva, pulsum offert pleniorem, fortiorem, turgor vitalis increscit, calor adaugetur; e contra contingens electricitatis polum negativum, pulsus concidit, evadit parvus, mollis, turgor vitalis imminuitur, oritur frigus. Quare concludimus aerem atmosphericum causis supra adductis in rationibus electricis mutationes notabiles perpessum fuisse; hasque imprimis consistere in tensione electrica sine qua nullus processus oxydationis thermogeneseos, voce sine qua nullus processus vitalis Atrium, per quod aër Atmosphericus in organismum humanum agit, est cutis et pulmones; hinc difficile non est explicare, cur morbi omnes Epidemici, aut Epidemico-contagiosi, utpote causam disponentem in atmosphaera agnoscentes, reactionem morbosam sistant in cute aut in organo respirationis: qualis non ita pridem regnavit epidemia catarrhosa Influenza dicta, in India exorta et occidentem ver-

sus extensa, cum Cholera eandem pathogeniam agnoscens. Ut tamen illa reactio vitalis contingere possit, ratio illa inter atmospheram infectam, et actionem vitalem organismi praecipue cutis, et pulmonum, justos limites excedere non debet; ubi debita haec ratio desideratur, tam profunde penetrant noxii effectus Atmosphaerae, et nulla signa reactionis vitalis seu in cute seu in pulmonibus evolvi possint. Affectio Pulmonum et Cutis tanta, ut nulla reactio sequi possit, functiones quoque horum organorum, quibus praesunt, ad imum dejiciat, est necesse. Patet hinc Haemathopoësim (experimenta Davy) et cum hac conjunctam Thermogenesisim, praecipuas ac primas functiones esse debere, quae Cholerae evolutionem praecedant; functiones nunc adductae praecipua momenta circulationis, hujus quoque turbas post se trahat, necesse est. Sanguis enim sic degeneratus partim eo, quod cor et vasa non sufficienter ex stimulet, partim quod vita propria langueat, non minus quod sanguis degeneratus vascula minima stimulo peregrino velicans, contractionem eorum spasticam sollicitet: his inquam omnibus, quibus langvor vitae cutis addi meretur, sit: ut circulatio in partibus periphericis initio languidior, tardius penitus interceptus sit. Functio praecipua organismi, qua latex vitalis elaboratur, prostrata, quin sensibus limitatis jam patefiat, vita animalis non perentiscere non potest. Quare virium prostratio, animi dejectio, capitis temulentia, sensuum obnubilatio, somnus deficiens, respiratio difficilis et anxia, omnium prima sint symptomata, quae scenam morbi aperiant, est necesse. Ast mox et aliarum functionum organismi in specie se- et excretionum perturbatae se associant; omnium maxime quidem eae, quarum azotum partem constituentem praecipuam largitur, et in serie animalium, perfectioribus non nisi propriae sunt: quare secretio urinae, mucii genuini formatio suppressa, et hinc orta vox debilis rauca (Vox Cholerae) characteristicum Cholerae morbi symptoma constituunt. Ipsa Cholopoësis intercepta a plurimis auctoribus ut signum diagnosticum Cholerae Indicae

adducitur, quod tamen non esse, ex iis, quae §. 4. adduximus, comprobatum habemus, imo ut I. R. Vos. Orton, Smirnow, et propria experientia docet, bilem sub ipso morbo evacuatam fuisse, et reconvalescentia ingruente magnam ejus copiam semper excerni. Res summa attentione digna significationi Physiologicae hujus organi omnimode respondet. Est enim Hepar cutis convoluta, organon respirationis apparatus digestionis dicatum, in perpetuo antagonismo cum organo memoratis positum, quorum functiones laugventes adjuvat, suppressas pro parte resarcitur; in Cholera morbo itaque cujus notio est, status subparalyticus pulmonum et cutis: hepar bilem secernendo, copiam phlogisticorum imminuendo. suppressam respirationem, vicario modo adjuvat; hic latet ratio etiam, cur morbus Cholera, bilis evacuatione superstite aut non erat vehemens, aut sui curam facilius admisit. Praestat id hepar, quousque status morbosus sanguinis in abundantia phlogisticorum positus, justos limites non transgreditur, aut ubi ductus Choledochus de spasmo tubi intestinalis multum non participat; ubi tamen alterutrum evenit, vi legis dynamicae generalis functio ejus supprimitur; nec bilis quantitas minima secernitur. Sanguis sic degeneratus nec calens, nec motus, easdem subeat mutationes in organismo, quas secus e vena missus nonnisi, subire solet, necesse est. Sejungitur itaque in corde in vasorum truncis in ipsis plane pulmonibus, in serum et placentam: Serum per minimos poros vasorum relaxatorum stillans, sudoribus colliquativis, vomitui non minus ac diarrhaeae profusissimae ansam dat: quae evacuationes ubi justos limites excedunt, morbi symptomata exacerbant quidem, moderatae tamen vicario modo functiones suppressas sublevant, congestionibus in organa nobiliora obviam eunt. Maximas vix non molestias pariunt, in Cholera morbo. ubi adsunt spasmi, in regionibus tropicis vehementiores, apud nos agilitate nervorum minori vigente, non ita frequentes, nec tam vehementes erant; producantur autem spasmi ubi momenta nunc adducta adsunt, per

sanguinis indolem venenatam, qua fit, ut non tantum non secernatur vita nervea, verum toxici (gasis acidi carbonici) adinstar ab eo velicentur; ideam hanc de natura spasmodum cura eorum infra adducenda comprobat. Ardor vero et sitis inexstingvibilis, quam multi Auctores ab inflammatione derivant, quae tamen non adest, quia adesse non potest: ab aliis symptoma affectionis nervosae, cujus indolem non explicant dicitur. Nobis a vero alienum haud esse videtur, si statuamus, symptomatis hujus causam partim in liquidum degeneratum, ventriculum et tubum intestinalem irritans, et hinc exorto conamine naturae per potum copiosum, liquidum illud acre diluendi, eliminandi, partim ad serum deficiens in sanguine restituendum, praecipue vero absorptionem acidi carbonici accumulati in sanguine, natura per potum copiosissimum aquae frigidae provocare nititur.

§. 10.

Modus hic genesis Cholerae Morbi in Patria, non admittitur ab Auctoribus multis, sub propagatione ejus per Asiam ac Europam: utpote statuentes, Cholera in Patria per aërem degeneratum evolutam, contagium generasse, cujus ope radiorum instar ex centro quaqua versus disseminabatur.

Ipsae Celb. Lichtenstädt in opere laudato asserit, morbum miasmate quidem generari posse, prout tamen in Russia, Orenburgae et Moskoviae viguit, contagiosam esse; quam tamen observationem Auctores alii, qui praxim amplissimam ibi exercuerunt, regnante Cholera Morbo negant. Celb Loder *) qui aeque Moskoviae Cholera tractandam suscepit, innumeris exemplis adlatis probat non contagiositatem morbi. Idem refert Marin Darbal **) in scripto, quod Academiae Parisiensi obtulit de Cholera Moskovensi. Celb.

*) Vide Tilesius über die Cholera etc. Nürnberg 1831 S: 56.

**) Gazette Littéraire Paris 1831.

Sokolow *), cujus relatio Cholerae Orenburgensis, Commissioni Medicinali Petropolitanae data, ut optima agnita fuit, argumentis copiosissimis non minus, ac validissimis demonstrat Choleram Orenburgensem non fuisse contagiosam, qualis etiam apud nos, ut observationes castissimae docent, regnavit: ipsemet Ujszászini aegrum 60 annorum tractandum habui, qui jam ab 8 diebus diarrhaea profusa laborabat, potibus spirituosis, quibus nimium deditus erat, sui medelam tentavit; non obstantibus his vires decrevere, evacuationes copiosiores evaserunt, vesperi ante morbi gravis eruptionem, sextarium Cremati exhaustit, ac altero die mane cum levamen non experiretur eandem dosim repetiit: sequebatur dein jentaculum vinosum. Diarrhaea his disparuit, sed comparuerunt spasmi tonici crurum, insequabatur vomitus largissimus, nunc primo territus opem medici expetiit, comparui atque vomitu ejecta, nullum dubium de morbi gravissimi praesentia admiserunt: exploravi pulsum, quem non amplius inveni, frigus erat marmorium, excepto abdomine, ubi crematum accensum calorem fovebat, lingua erat arridissima, aer expiratus frigidissimus, sudor frigidus colliquativus, spasmi tonici vehementissimi: memor, quae Seidlitz de potatoribus refert, respiciens simul durationem mali, curam adhibitam, non aliam quam infaustissimam pronuncianti prognosim: facienda tamen ipse praestiti, licet pauca praestari poterant; sanguis enim vena incisa non fluxit, hirudines non suxere, ob inquietudinem summam balneum adhiberi non poterat; ideo frictiones panno aspero tinctura cantharidum madefacto institui, sudorem ipse linteo parvo abstersi, ita ut manu nuda non raro contingerem, ad vomitum compescendum, pulsum erigendum Camphoram in Naphtha vitrioli solutam cum aliquot guttis tincturae Anodynae exhibui, mox tamen rejecit, spatio 6 horarum conscientia praeve jam evanida expiravit, ex gangre-

*) Vide Lichtenstädt's Ufsatfide Cholera in Rußland S. 110. und 140.

na viscerum abdominalium. Nec tamen ullus, qui opem aegro adtulimus, morbum acquisivit.

Observationibus his ab aliis Auctoribus longe saepius comprobatis, Cholera Morbus nunc vix non ab omnibus Auctoribus pro epidemico habetur, qui in India erupit mutationibus atmosphaerae §. 6. expositis; quae mutationes non minus per Asiam ac Europam contingebant, ipsam infectionem aëris indigantes. Celb. Moor. Bertuil, et Sedlist, referunt ante et sub eruptione morbi hujus in Europa, nebulis densis terrae superficiem obiectam fuisse, quarum influxu noxio, canes in via non raro inter convulsiones extincti sunt. Celb. Gravier, qui Choleram in India curavit, refert morbum Irequentissime noctu erupisse, et in gubernio Saratow, ut refert Tilesius, plurimi noctu in Choleram incidebant; quam veritatem et in Hungaria comprobata habemus.

Ingeniose exponit genesim Cholerae ex effluviis telluricis Dr. Preu *), qui aequè morbum hunc habet pro epidemico, sub certis tamen circumstantiis in contagiosum degenerandum: causam morbificam immediatam quaerit in exhalationibus specificis e visceribus terrae exhalatis, exhalationes has in inferioribus atmosphaerae stratis solutas, majus implevere spatium, sicque ad mentem Auctoris occasio genesis morbi amplificata est. In locis, ubi copia major aegrotantium adest, emanationem telluricam immediatam egisse putat, ubi autem in locis dissitis certa directione morbus evolvebatur, solutio exhalationum in Atmosphaera activa fuisse videtur; hinc quoque intelligitur, quomodo montes Himalay ultra 5000 pedum alti, morbo limites posuerunt, quomodo Incolae Tifis per fugam in loca altiora a morbo immunes manserunt. Effluvia inquam telluris ob pondus eorum, in stratis Atmosphaerae supremis aut solvi non potuerant, aut nimium diluta inactiva reddita sunt.

*) Das haben wir von der Cholera Morbus zu fürchten etc. etc. Nürnberg 1831.

Sententia haec Auctoris quam et Johnson, Annesley, Schnurrer, et Seidlitz defendunt, omnino plurima argumenta pro sui veritate pugnantia possidet; sufficiat hic adferre apparitiones meteoricas, terrae motus, eruptiones vulcanicas per Asiam et Europae majorem partem adnotatas, eadem fere directione contingentes, qua morbus, ex India in Europam advenit. Licet argumenta nunc adlata omni dubio majora morbum epidemicum regnasse evincant, non tamen negamus eum hinc inde contagiosum evadere potuisse; et reapse observationes pluribus in locis factae, in specie in Gubernio Saratow, ubi morbus ne medicis quidem pepercit, contagiositatem demonstrant.

§. 11.

Spectat Cholera inter morbos generi humano maxime insidiosos. Dr. Schnurrer in opere laudato comparat Choleram, cum Peste orientali, F. flava Americana, ultimo decennio regnantibus, pronunciatque Choleram his periculosiorem esse.

Et sane si consideremus devastationes, quas per Asiam, ac majorem partem Europae causavit, ut talem hucadusque spectare debemus; nullum tamen est dubium, pericula haec esse relativa, id est relate ad cognitiones nostras de hoc morbo adhuc nimium limitatas; quemadmodum id longe magis valebat de aliis morbis, in specie de Siphylide, de Variolis, qui Morbi luci darae de natura horum morborum hodieum vigenti expositi, rarissimis in casibus enecant. Ideo etiam Cholera morbus hic nunc intermittere videatur, sempertamen constituit objectum meditationis medicorum, non tantum Tironum, sed et Seniorum, quorum cognitiones ampliores, et iudicium practicum nostrum multo excellit.

Morbus prout hucadusque viguit, omnino strages edidit Pestis instar, sic in Patria ejus, in specie in Bengalia, ubi omnium primo letifer comparuit, spatio trium annorum vix non quatuor milliones homi-

num peremit. Moscoviae licet major pars Incolarum Urbem desereret, Imperator ipsemet ad locum periculi se conferret, omniaque agenda adornaret, errores commissos exciperet, corrigeret, medicos celeberrimos zelo humanitatis instructos, sufficienti numero constitueret, miseros necessariis prospiceret; tamen inde a 28-a Sept. usque 19. Decemb. 1830. octo mille tercenti septuaginta et unus morbo comprehensi sunt, ex quibus convaluerunt 3723, victimae cadebant 4543. Ipsa natio Hungarica, quae non noscit metum, non hostem horrebat, dum audiret strages, quas in Gallicia vicina ediderat. Rex humanissimus licet cuncta moverit, quae morbo charae sibi nationi hungaricae insidioso limites poneret, irruerat tamen non minori ferrocia ac alibi; at brevi spatio 5 circiter mensium plurium centum millium hominum stragem causaverat.

Prognosis haec morbi generalis multum modificatur per alias circumstantias: Celb. Sokolow in epidemia Orenburgensi plures distinxit periodos, quibus non tantum aegrotantium numerus, sed et intensitas morbi respondeat; idem docuit epidemia Moscoviensis et comprobatum habemus apud nos; adeo ut sub initio epidemiae et incremento prognosis minus fausta sit, quam sub ejus decremento, ubi morbi vehementia quoque minor. Prognosis porro dependet a duratione morbi, ubi morbus brevi evolutus est, ibi in genere therapiae rationali facilius cedit, quam ubi perfecte evolutus est, frigus universale, pulsus vix tangendus. Celb. Gmelin refert, ubi nullae contigerant excretiones, ibi prognosim infaustam fuisse; Auctores longe plures adferunt alvum griseum potui seminum Cacao similem ut signum ominosum, alias ubi infarctus viscerum abdominalium, graviditas aderat, morbum periculo plenum annunciaverat. Determinatur prognosis quoque per intensitatem causae occasionalis; sic morbus per frigus humidum provocatus periculosior est, quam per ingesta evolutus: signa optata sunt calor cutos reversus, pulsus plenior, major, sanguis ex incisa vena fluens, alvo bilis educta, se-

cretio urinae restituta, quae tamen ut Sokolow de epidemia Orenburgensi adnotat saepe, fallunt.

§. 12.

Therapia Cholerae duplex est, alia prophylactica, alia curativa. Prophylactica, quae morbi nondum praesentis eruptionem impediret, summe desideraretur: praestat enim semper morbum praepedire, quam evolutum, cum periculo vitae decurrentem, sanare. Diversam autem proponi debuisse ab auctoribus, facile patet ex iis, quae circa modum propagationis Cholerae §. 10 exposita sunt. Casta nonnisi observatio ad lectos aegrorum, sine praejudicio suscepta, fertilem multorum malorum matrem, e mente medicorum eliminavit. Epidemicum et quidem mere talem observatio apud nos facta vocat Choleram: cui tamen ea, quae supra de contagiositate adducta sunt, non refragantur. Unica itaque nobis datur methodus prophylactica, ideae de natura morbi, quae unica est, respondens. Epidemia Cholerae, quemadmodum omnis alia, dispositionem in morbum epidemice regnantem, vario quidem in gradu, receptivitati individuorum ubique respondentem, per longum et latum diffundit: non obstante dispositione hac, regnante morbo epidemico universali reddita; nonprehenditur tamen morbo alter, nisi qui aliud momentum morbi, causam occasionalem inquam expertus est. Observatio multiplex ubique terrarum facta docet, homines conditionis violoris, qui nullas Hygeae regulas agnoscunt, quales rure etiam inter opulentiores inveniuntur, in Choleram facilius incidisse; quare admonitione publica per Magistratum facta, homines ad strictam observantiam praeceptorum Hygeae, utpote optimo prophylactico contra Choleram stringantur; cura munditiei, renovatio aëris per ventilationes, die serena imprimis ne intermittatur. Inopiam multorum malorum fontem, concernens Magistratus publicus pro tempore sublevare debet: Curabit itaque, ut victualium bonorum advectio facilitetur, praetium moderatum sta-

tuatur, pauperum vero indigentis ex Cassa publica satisfiat. Attendimus ad vestitum qui temperaturae accommodatus sit, refrigerium enim fons frequentissimus morborum, Choleram vix non semper excitavit; cum refrigerium facilius admittatur, ubi corpus laboribus adstringentibus sole ardente in campo excutis fervet, ideo consilium Celb. Subow commendamus, ut aestate labores inchoent mane hora 4. usque 6. finiant 8. usque 10. post meridiem ne suscipiant ante 5. matureque finirent, caput et tergum sit munitum contra solem ardentem; cum Tiflisii $\frac{2}{3}$ incolarum per fugam in loca altiora a morbo immunes manserint, ubi consilium illud exequi potest, nunquam intermittimus. Invigilamus ne noxios effectus nebularum foetidarum admittamus, quare his praesentibus interdiciamus exitum in auram liberam, renovationem aëris januis, fenestrisque appertis. Celeberrimus Tilesius ut prophylacticum laudat balneum causticum (derivatio magna seu cruenta auctoris) Celb. Brandeis cremorem tartari laudat dosi purgante. Asseclae Hahnemannii, Schubert et Preu praeter dietam homoeopathicam veratri albi dilutionis 36. guttam 1. laudant, quae tamen consilia partim ut unilateralia, partim ut superflua laudem tantam non merentur; sed invigilamus, ut sanitatem integram conservemus, imprimis attentionem nostram dirigimus in functiones ventriculi et intestinorum, ubi caput temulentum se insinuat, affectione gastrica praesente pro varia turgescencia saburrae, emeticum, alias purgans, quo ocius exhibeatur.

§. 13.

Non obstantibus his experientiae et sanae mentis monitis Cholera objectum Therapiae curativae amplum constituebat, metusque justus est, ne aliorum malorum instar recurrat; quare et haec altera pars Therapiae non minorem dignitatem sibi vindicat. Rationalem Cholerae Therapiam, quisque ideae propriae

de natura morbi, conformem proponens, assignasse putabat.

Veritas tamen semper una, et pro omni tempore eadem, quod tempore Galleni, et Boerhavii ut tale habitum et nunc sit oportet.

Ut cura rationalis dici valeat, in idea de natura morbi non minus etiam, in observatione fundetur necesse est. Veritas enim non est, quae utraque via non eadem habet consecutaria.

Naturam morbi pronuntiavimus situari, in affectione semiparalytica cutis et pulmonum, qua fiat, ut Haemathopoësis termogenesis, circulatio, se- et excretiones turbentur; quare duplex venit indicatio explenda: altera jubet vitam horum organorum, et cum hac functiones prostratas resuscitandi; altera eas quacunque demum ratione vicario modo sublevandi. Indicationis primae, quae poscit, ut vim vitalem cutis, et organorum respirationis prostratam erigamus, difficulter, in nonnullis casibus plane non potimur; contingit enim in nonnullis casibus, ut aëris supra expositi influxus: veneni vitam exhaurientis instar, in organismum agat; mortemque brevi subsequam habeat. Quare ne per tentamina longa moram concedentes morbo, pericula vitae increscant; transimus in omni casu individuali, ad functiones horum organorum languentes, vicario modo supplendas. Omnium maximum expetit subsidium transmutatio sanguinis venosi in arteriosum, quae languet, sed suppressa non est; quam promovere conamur, sanguinis copiam, phlogisticis principiis supersaturati, imminuendo: hinc intelligenda mihi venit praecipua ratio, cur sanguinis evacuatio, licet status inflammatorius genuinus per observatores exactissimos demonstrari non poterat, tantam exeruerat efficaciam in curando hoc morbo: licet haec non minus prosit et eo, quod congestionibus periculosis in Encephalon et medullam spinalem obicem ponat. Venae sectio nunc laudata, per Asiam ac Europam magna dosi commendata, saepe magnis premittitur periculis; ubi enim diutius durat morbus, alias post aliquot jam horas, circulatio

sanguinis in superficie cutis, adeo jam langvet, sanguis mutationes, quas secus extra corpus vivum patitur, hic subit, atque e vena aperta non fluit: ibi consilium Dris Brandeis aegrum balneo calido cum sale communi, aut pulvere seminum sinapis acri reddito imponendum jubens, adhiberi meretur: sanguinis enim effluxus sic saepe promovetur, qui apud nos ad unc. 4—6 missus effectum desideratum saepe praestitit, sanguis inquam ultimo fluens ruber, fluidus apparet, designans Haemathopoësim promotam esse: continetur haec idea rationem et illius phaenomeni, cur morbus diu durans debilitate multum adaucta, sanguis tamen magna quantitate missus, effectus admirandos praestituerit: saepe remedium nunc commemoratum ex rationibus adductis omnium primum, non sufficit semper ad vim morbi frangendam; quare et alia remedia, quae ratio et experientia svaedet, adhiberi merentur. Aliud organon, quod et in statu sano Haemathopoësim promovet, est Hepar, Pulmo organis digestionis dicatum; bilis itaque se- et excretio, multiplici ex causa morbi vehementiam infringit, cui ea, quae supra ut Celeberrimorum virorum observata adducta sunt, multum favere videntur: hoc scopo Calomela jam ab anglis laudata, ratio tamen efficiaciae ejus nondum assignata commendari meretur. Cum tamen aegri Cholera affecti cuncta vomitu rejiciant, ideo combinatio cum opii magnis dosibus commendata: sub ejus usu illud Wedelii, sacra vitae anchora circumspecte agentibus est opium, cymba autem Charontis in manu inperiti, sufficienter in hoc morbo commendari non potest; observatio enim tristis docet aegros plurimos apoplectice in hoc morbo exstingvi, cujus evolutionem tanta dosis Opii, ut ab anglis commendatur, non promovere non potest: Usu tamen ejus carere non possumus, dum remedia interne propellimus. Angli et post hos Russi magnas commendant doses Calomelis grana 16—20—30. omni 2. 3. hora repetendam; quod consilium nunquam secuti sumus, nec alio commendare audemus, exhibuimus frequenter adultis Calomelis gr. 4. Opii

puri gr. $\frac{1}{2}$ cum roob. zambuci, atque vomitu non re-
jectum adjuvans curae praestantissimum constituebat.

Alia pars morbose affecta est Cutis, cujus func-
tio prostrata, non aliis quam stimulis efficacissimis
excitari poterit: hoc scopo praestantissimum reme-
dium collocamus in balneo caustico, a Tilesio deri-
vatio magna seu cruenta dicta, multum commenda-
tum: constat e cineribus clavellatis et calce recens
usta, quod pro varia sensibilitate ad varium gra-
dum concentratur. Remedium nunc laudatum per
Indiam ac Russiam non minus quam etiam apud nos
comprobatum habemus, ita ut post sanguinis eva-
cuationem, semicapium solum ex cineribus clavella-
tis, ac farina Semicum Sinapis paratum, ter quater
renovatae urinae excretionem, et mox reliqua quo-
que signa emendationis insecuturæ, non semel laetus
conspexeram. Applicatio tamen hujus remedii, in
morbo hoc saepe difficultatur, alias, adhibendo im-
possibile est; anxietas enim et inquietudo, temulen-
tia capitis, vomitus ac Diarrhea, hujus applicationem
saepe impediunt, atque in hoc casu irritamenta cutis
alia, adhiberi debent. Praestantissimum possidemus
in frictiona cutis: Persi natio Asiae cultior Prototy-
pian humanitatis obtulerunt, regnante idea de conta-
giositate Cholerae: nam ubi socius morbo affligeretur,
mox vicini accurrebant, atque partim perfusionibus
cum aqua frigida, partim frictione, vellicatione, sub-
actione, moribundos non raro excitarunt. Rudem
hunc modum agendi quidem non commendamus: fri-
ctio tamen cum panno asperiore, setaceo rigido,
madefacto in alcohole calido, vel quod melius in li-
quido composito ex aceto aromatico, Camphora, et
Spiritu salis ammoniaci caustico, addito hinc inde
tinctura cantharidum, desideratos saepe praestitit ef-
fectus; saepe applicuimus sinapismos latos abdomini
extremitatibus.

Remedia nunc laudata a natura morbi petita, ob-
servatione simul comprobata, saepe aliis quoque
simul adhibendis necessitatem ponunt: inprimis at-
tentionem sibi vindicant sitis, vomitus, diarrhea ac

spasmi. Sitis symptoma molestissimum Cholerae, potu quocunque demum non exstinguenda, mitigatur potibus tepidiusculis, infuso fl. Sambuci, Tiliae, Mellissae, etc. rarissimis in casibus potus aquae frigidae levamen attulit.

Frequens symptoma molestum est vomitus, alias Diarrhea, hinc inde utrumque junctum est; atque ut rationalem curam eorum adornare valeamus, natura eorum examinanda erit. Saepe evacuationes hae sunt benigna naturae conamina, per quae Saburra jam sursum, jam deorsum versus turgescens evacuat; atque in tali casu, naturae conamen adjuvandum est. Quo scopo exhibuimus jam emeticum, et quidem Ipecacuanham forma pulveris ad scr. semis, omni quadrante horae p. lvis unus absumatur, donec emesis 2. 3-ve secuta fuerit, aut totidem alvi evacuationes: ubi Saburra deorsum versus turgescit, purgans potius exhibuimus, quo scopo Saburra acida praesente, Magnesiam Carbonicam Rheo junctam, secus Cremor tartari in connubio cum Rheo propinatur, sicque morbi finis non raro inponitur. Nec tamen semper ita insons est haec evacuatio, ut supra exposui, secretiones hae saepe vicariae sunt: quare medicus cautus sit, ne praematura harum suppressione, mors apoplectica insequatur, ideo omnium maxime attendendum est, ut causa morbi proxima imminuatur, quibus pro parte potitis ad molestum hoc symptoma sufferendum omnem convertimus attentionem; subinde evacuationes hae sustentantur per statum inflammatorium verum: licet enim sanguinis indoles nequaquam talis sit, ut inflammationibus producendis faveat, liquidum tamen degeneratum, has partes saepe adeo vellicat, ut reactionis signa tamen compareant, licet non intensa, atque ab auctoribus adlatae Gastro-enteritides, sint potius vasculorum minimorum sanguine nigro denso infarctus; reactione tamen aliqua praesente hirudinum applicationem commendamus 6—12. regioni epigastr., haemorrhagiam sustentamus per horam, interne exhibemus decoct. emolliens salep. amyllum, quibus

non raro symptomata haec molesta cessant; subinde inflammatio non est manifesta, sed adest irritabilitas morbosa, cum impatientia stimuli conjuncta, evacuationes has sustentans, bilis defectui inprimis adscribenda; atque tunc optime cedit morbus usui Felis tauri inspissati, cujus Drach. 1. exhibuimus in infuso Aromatico et inde omni $\frac{1}{2}$ horae cochlearculo coffeaceo summatur, vidique saepe opium et aromatica inefficacia, remedium laudatum symptoma molestum feliciter sustulit: saepe acida subinde jam vegetabilia, in specie acidum Carbonicum forma potus Riverii in ventriculo eliberatum apud homines potui spirituosio dicatos, praecipue efficax: majorem efficaciam exerunt acida mineralia, in specie spiritus vitrioli, liquor acidus Halleri, in decocto emolliente praestantia sunt remedia: saepe evacuationes hae sustentantur per sensibilitatem exaltatam et hinc ortum spasmum Clonicum, quo in casu Ipecacuanha a Homoeopathis Preu et Zinkhan laudata, sed majori dosi ad gran. semis usque gra. 2. cum cleo-sacharo aut in pulv. Doverii exhibita, remedium praestantissimum, saepe profuere in his casibus Clysmata, ex Decoct. Furfurum, Malva, Amyllo, cum aliquot guttis tincturae anodynae. Non raro secretiones morbosae perdurant, degenerant, oritur status colliquativus, atque tunc efficaciora artis praesidia adhiberi debent, laudem merentur Valeriana, Arnica, cujus usum Stollus, ac post eum Zimmermannus in Dysn. putrida comprobarunt; saepe profuit acidum muriaticum oxygenatum, Alumen, Camphora, Castoreum, Moschus, Ammonia, Olea Aetherea inprimis Ol. menthae pip. Ol. Cajeput., maximam vero efficaciam et in hoc casu exerit balneum causticum, laudatur balneum vaporum aceti, commendari meretur balneum oxygenii, adhibitum in lecto constructo ad methodum lectus apparatus Salvatorii Hamburgensium: ubi intra duas laminas, Oxydum mangani nigrum, acido sulphurico miscetur, e lamina interiori pluribus in locis perforato, oxygenium cutim totam permeans excitans constitueret efficacissimum, quod

remedium Celb. Himly et interne adhibendum commendat. Effectus hujus remedii veritatem de morbi natura certo denudaret.

Non minus molestum symptoma in Cholera Morbo constituunt spasmi, qui rarius sunt Clonici, frequentius Tonici: Cura eorum omni attentione digna est, non tam ob molestias, quas causant, sed ob sequelas; apoplexia et paralysis enim, non raro excipit spasmos. Varia autem est methodus, spasmos hos sanandi: quam ut recte definire valeamus, in causas ejus omni in casu individuali inquirere debemus. Auctores plurimi spasmos habent, pro reactione vitali in causam morbificam, atque ideo eos ut signa fausta considerant, quod observatione aliorum refrenatur, sic Celb. Tilesius 2 casus memorabiles adfert, ubi post usum Opii successive auctam ad gr. ʒ. diarrhea profusa cessavit, aegri tamen ex spasmis exstinguebantur. Quare nos semper curam spasmorum peculiarem habuimus. Frequenter contingit, ut spasmi sustententur per statum abnormem tubi cibarii, quare methodus supra exposita spasmos quoque solvit. Celb. James Annesley causam spasmorum in irritatione medullae spinalis, nervorum, per sanguinis degenerati affluxum inducta, reponit; quare sanguinis evacuationem commendat contra spasmos, assertum cujus veritas per observationes repetitas, et apud nos factas comprobata est. Quare in omni casu, ubi applicationi hujus remedii locus est, non intermittendum: saepe post sanguinis evacuationem factam spasmi remittunt, non raro et intermittunt, subinde statim sub initio mitiores sunt; heroico remedio laudato locus non est, atque tunc frictions supra adductae, a multis nostratibus cum chlorate calcis, cujus liberrimo oxygenio, processus dynamico-organicus in fibra musculari evolutus corrigitur, suffertur; quemadmodum solutio chloratis calcis in excitando Asphyctico per acidum carbonicum inducto, recentissimis praestantissimum. Ubi spasmi his non cedunt, praeter remedia laudata, praestantissimum possidemus in perfusione cum aqua frigida, vel in potu aquae frigidae. Remedium, cujus usu in Per-

sia multa millena hominum ex orci faucibus libera-
bantur. Modus aquam frigidam adhibendi hic est idem,
ut laudatur contra Typhum contagiosum Europeanum,
et alios morbos exanthematicos: cujus usu multi
miseri homines in caro mihi loco natali, potus instar
adhibiti, casu reconvaluerunt; effectus hujus remedii
difficile non erit explicatu, si in ea, quae de natura
morbi supra exposuimus, attentionem direxeris; non
raro status abnormis systematis nervosi, sanguine jam
normali vigente perdurat, spasmos sustentans; atque
tunc Ipecacuanha, Olea Aetherea, Camphora, Valeriana,
Ammonia, Castoreum, Moschus, Opio juncta, enoema-
ta antispastica morbum solvunt.

§. 11.

Per methodum medendi nunc propositam, quam
rationalem nominare audeo, morbus saepe feliciter
deducitur in stadium 3-um seu reconvalescentiae: in-
gruente eo aeger nondum liber a morbo declarandus
est; pronitas enim in recidivam, accedentibus causis
levioribus, morbum vix non semper lethalem revocat.
Quare ut eorum, quae in Therapia adduximus, laetum
effectum experiamur, necesse est reconvalescentiam
ita regere, ut hostis totalis radicitus evellatur; quare
attentionem semper convertimus, in symptomata mor-
bi residua, eorumque naturam; frequenter contingit,
ut calor cutis revertatur, sed siccus; pulsus elevetur,
sed normali frequentior, celerior, durior; temulentia
capitis, rubor faciei, lingua spurca; dolor constrin-
gens in ventriculo aegrum torquent: quae symptoma-
ta manifeste designant, Saburram per liquidum de-
generatum, ac bilis secretionem largam nunc rever-
sam, evolutam esse; atque scopo hoc emeticum, aut
purgans cauta manu propinandum erit: status enim
irritatus tubi cibarii perstans, majores doses remedio-
rum horum non fert, evacuationibus his subsecutis
frequentissime dolor disparet, pulsus redditur norma-
lis, cutis perfunditur sudore universalis, atque sani-
tas integra revertitur. Subinde sub stadio reconvale-

scientiae sudor criticus non comparet, alias eo praesente, comparent aliae quoque evacuationes; sic observavi Ujszászini speciem fluxus Haemorrhoidalis, licet aeger antea nec molimina ejus experiretur, Theresiopoli habui foeminam lactantem curandam, quae postquam Cholerae Morbi symptomata gravia feliciter superasset, comparuit Metrorrhagia, licet et sanguinis evacuatio sub morbo gravi instituta fuisset. In his evacuationibus attentionem nostram figere debemus, ne benigne tale conamen naturae suppressatur; ast invigilandum quoque, ne nimiae, vires vitales utique languentes magis adhuc prosternant. Omni in casu praecepta Hygeae per plures dies stricte observanda habet; saepe morbi posthumi, ut Paralysis, in specie Dispepsia, alvus obstipa, alias incontinentia alvi, rarius Paralysis aliarum partium, aut plane sensuum externorum remanent; subinde Hydrops; etc. quae multis in casibus vitia constituunt permanentia, saepe tamen per Therapiam rationalem contra hos morbos in genere proficuum, respiciendo semper tamen originem eorum, feliciter sanantur.

T h e s e s.

1.

Electricitas Atmosphaerae, fons omnis formationis.

2.

Acholia, signum diagnosticum Cholerae insufficientis.

3.

Influenza non tantum origine, sed et natura, Cholerae multum affinis.

4.

Aqua sub diversis suis formis; menstruum universale.

5.

Resorptio inter venas, et vasa lymphatica partita est.

6.

Affectio cutis, et pulmonum, essentialia Cholerae symptomata.

7.

Vita organica, Psychismo explicando impar.

8.

**Haemathopoësis in Cholera morbo, affectio
secundaria.**

9.

**Chemismo anorganicorum in homine, vita
durante, locus non est.**

10.

**Methodus homoeopathica, in morbis acutis
curandis, saepe optima.**

11.

**Inter methodos medendi universales, anti-
phlogistica omnibus reliquis palmam praeripit.**

12.

**Nec nevrosis, nec gastro-enteritis, sym-
ptomata Cholerae explicat.**

13.

**Cholera Indica, est morbus mere epide-
micus.**

1870

of the ...

...

...

...

...